

se conferens, pannum tenuiori pretio acquisivit. Residuum porro summæ ad emptionem a domino determinatæ, nec impensæ, sibi vindicavit.

HINC :

QUER. 1^o An SALUSTUS, in primo casu, ad aliquid teneatur erga CYRILLO, mercatorem prætermisum? An erga dominum?

2^o An retinere possit id quod minus impendit, merces in alia civitate emendo?

SOLUTIO :

886. — R. ad 1^m Quæst. Quid de SALUSTO? Nullam quidem injustitiam, CYRILLO prætermisso, commisit, quia mandans, ut supponitur, nullo contractu adstringitur ad merces in ejus officina emendas; sed injustitiæ reus evadit erga mandantem, cujus rem utiliter gerere debet: etenim pecunia quam non expendit, mandantis est, et mandanti clamat. Ergo ei mandatarius parcimoniæ fructum restituere debet. *Recole dicta de furto, casu 9, n. 571.*

R. ad 2^m Quæst. *Affirmative.* Ratio est, quia lucrum illud quod SALUSTUS obtinet, in alium locum se conferendo, et ibi merces minori pretio emendo, revera ejus labori et speciali industriæ debetur; proinde sub hoc respectu non est inquietandus. *Reuter, n. 182.*

CASUS IX.

MANDATUM 3^o.

1^o RESPICIUS, homo valde industrius, frequenter, ut mandatarius, a BERNARDO adhibetur. Lucrum autem fecit, et ut fructum industriæ sibi servavit in sequentibus casibus: Primo jussus fuit, ut emeret decem modios tritici pro 50 francis; emit autem 40 fr. frumentum bonæ speciei, et 10 fr. sibi reservat. Alias mandatum habuit equum vendendi 300 fr., et 320 vendidit, et proinde 20 fr. seposuit. Alias eidem commissus est bos 200 fr. vendendus; RESPICIUS non habens occasionem illum bovem vendendi, eum ipse pro statuto pretio sibi emit, et postea carius vendit.

2^o CALLIXTUS accipit a MARCELLO annulum, vendendum quinque nummis. Ille vero, felici sorte, eadem die viro perito octo nummis vendit. Igitur quinque nummos tradit MARCELLO, tres vero reliquos sibi servat, tum quia est fructus industriæ, tum quia CALLIXTUS ipse pretium determinavit, nec majus requirit.

HINC :

QUER. 1^o An RESPICIUS possit lucrum perceptum retinere in variis adjunctis, in primo casu relatis?

2^o An CALLIXTUS potuerit pretium residuum sibi retinere?

SOLUTIO :

887. — R. ad 1^m Quæst. In 1^o casu: RESPICIUS non potest sibi servare pecuniam, cui pepercit in frumenti emptione, quia emit nomine mandantis, et rem ejus utiliter gerit. Mandans autem, determinando pretium, significat

se nolle ut majori pretio frumentum ematur, sed non ideo renuntiat beneficio quod mandatarius obtinere potest. Igitur pecunia reservata domino clamat. Secus tamen dicendum est, si RESPICIUS, ut minoris emeret, in alium locum iverit, et expensas fecerit, etc., ut dictum est in casu præcedenti. *S. Lig. n. 825.*

In 2^o casu: neque potest RESPICIUS excessum pretii retinere, quia pretium fuit ipsi determinatum ne venderet minoris, nisi aliud ex verbis mandantis, aut ex circumstantiis colligatur. Quare emolumentum cedit domino, cujus venditor rem utiliter gerit. *S. Lig. ibid. — V. Comp. n. 847.*

In 3^o casu: licite egit RESPICIUS. Ratio est, quia non est ipse deterioris conditionis quam alius quilibet; igitur, modo tribuat domino pretium ab eo determinatum, bene potest bovem sibimetipsi vendere; et si postea, data occasione, illum pluris vendat, lucrum illud suum facit, quia rem suam vendit, et proinde ipsi emolumentum proficere debet. Sed, in eo casu, mandatarius sincere emere debet: ita ut postea omnia pericula et onera subeat, si v. g., bos pereat, deterior evadat, etc. Igitur, re perfecta, haberi debet ut verus dominus, nec potest postea venditionem hanc rescindere. — *Reuter, n. 182. — S. Lig. n. 825.*

888. — R. ad 2^m Quæst. *Negative, per se.* Etenim 1^o nihil retinere potest ratione industriæ, quia auctarium pretii non est fructus industriæ, sed fructus annuli spectantis ad dominum, cujus nomine CALLIXTUS tantum vendidit: ergo auctarium spectat ad dominum. 2^o Neque aliquid retinere potest ratione rei venditæ, quia illud est pretium rei: ergo spectat ad dominum rei. 3^o Neque ex eo quod dominus designaverit pretium, quia, sine pacto tacito vel expresso retentionis auctarii, illa designatio tantum facta est, ne infra illud pretium designatum annulus venderetur. Dixi *per se*, quia excipiendus est casus in quo MARCELLUS expresse vel tacite convenerit cum CALLIXTO, ut, si annulum vendiderit supra pretium designatum, lucrum sibi servet. *Voit, n. 939. — S. Lig. n. 825.*

Objicies: Mandatarius mercedem pro labore suo competentem exigere potest; ergo illud augmentum pretii hac ratione retinere potest.

R. Vel convenit cum mandante de aliqua mercede, vel non. Si prius, debuit determinari merces illa, et a mandante eroganda est; nec pendet ab arbitrio proprio mandatarii. Si posterius, jam hic censetur voluisse suum officium gratuito præstare. Attamen, si mandatarius laborem arduum susciperet, vel tempus notabile adhiberet ad mandati executionem, modo labori proportionato se compensare posset. Sæpissime mandatarii salarium alia ratione percipiunt, quales sunt famuli, proxenetæ, etc.

CASUS X.

DE NEGOTIORUM GESTIONE.

REMIGIUS emit 50 fr. gemmam 200 fr. valentem, sciens furtivam esse, et ad GERMANUM pertinere; non emit autem ut eam domino gratuito reddat, at cum intentione pretium solutum ab eo repetendi, cum nullo alio modo gemmam hanc obtinere possit.

HINC :

QUÆR. 1° An GERMANUS, gemmæ dominus, teneatur refundere in REMIGIUM pretium ab eo in ipsius favorem solutum?

2° An REMIGIUS, domino pretii solutionem recusante, gemmam servare possit, aut etiam eam vendere?

SOLUTIO :

889. — R. ad 1^m Quærs. *Affirmative*. Ratio est, quia REMIGIUS rem GERMANI utiliter gerit, eam vilissimo pretio recuperando, quando alio modo minime recuperari potest. Tunc *rationabiliter* voluntas domini præsumitur, et officium præstantissimum in ipsius gratiam præstatur. Ergo justum est ut refundatur pretium, quo res empta fuit. *Antoine, de Contr. part. 2, c. 4, et alii.*

890. — R. ad 2^m Quærs. *Affirmative*. Ratio est quia REMIGIUS jus habet ut indemnis fiat : ergo, si dominus gemmæ pretium refundere nolit, emptor eam servare potest, vel etiam vendere, ad se compensandum. Attamen gemmam vendere non debet, nisi iterum et serio monito GERMANO; et, detracta sua pecunia, totum pretii excessum ei tribuere tenetur. *V. Comp. n. 848.*

CASUS XI.

DE MUTUO 1°.

1° DUNSTANUS, centum nummis a MATTHÆO mutui gratia acceptis, domum nocte repetebat, cum in furem incidens, ab eo pecunia spoliatur, et vix incolumen vitam subtrahit. Postea vero MATTHÆO, nummos repetenti, restituere noluit, quia, ait, ubi res perit, deficiente culpa detentoris, domino perire censetur.

2° FULCRANUS, cum mutuo pecuniam ab ERNESTO requireret : « Nullam in promptu habeo, inquit iste, sed accipe hæc viginti vasa ex porcellanis, et, iis venditis, pretium in usum ad annum servabis. » Verum vasa a FULCRANO accepta, antequam divenderentur, casu fortuito perierunt.

3° GIBERTUS mille francos mutuo gratuito tradit ARSENIUS ad annum, declarans se postea pecuniam hanc, agrum emendi causa, reclamaturum esse. Elapsis autem sex mensibus, data opportuna occasione agrum emendi, GIBERTUS pecuniam repetit. Difficultatem objicit ARSENIUS, et moram postulat ad alios sex menses protrahendam. Annuit mutuator, ea conditione ut mutuatarius fenus legale sit soluturus.

HINC :

QUÆR. 1° An DUNSTANUS in primo casu, pecuniam a MATTHÆO acceptam restituere debeat?

2° An FULCRANUS pretium vasorum, de quibus id secundo casu, ERNESTO reddere teneatur?

3° An GIBERTUS potuerit fenus pro pecunia mutuata exigere, prout fertur in tertio casu?

SOLUTIO :

891. — R. ad 1^m Quærs. Jocari videtur DUNSTANUS a pecunia restituenda se excusando. Luce enim meridiana clarius est ipsum obligari ad reddendum MATTHÆO quicquid ab ipso ex mutuo accepit, quia mutuum nunquam proprie perit, vel ipsimet mutuatario semper perit. Etenim, in mutuo pecuniæ, attenditur tantum ad *valorem*, non vero ad *species* argenteas vel aureas. Quare mutuatarius, accepta pecunia, dicit mutuanti : *Debeo tibi talem vel talem valorem*; valor autem nunquam perit, siquidem mutuatarius, nummis acceptis spoliatus, remanet debitor valoris. Si vero agatur de rebus primo usu consumptibilibus, dominium rei mutuatae in mutuatarium transfertur, cum hæc non sit eadem reddenda in individuo, sed in specie tantum; proinde, si pereat, mutuatario etiam perit, siquidem dominus est.

892. — R. ad 2^m Quærs. FULCRANUS pretium vasorum solvere debet. Etenim res perit domino; atqui FULCRANUS vasorum acceptorum est vere dominus : nam ERNESTUS eorum dominium omnino transtulit, ita ut ab eo vendi possint, et valor eorumdem tantum sit reddendus. Ergo vasa FULCRANO perierunt.

R. ad 3^m Quærs. *Nego*. Ex contractu enim ARSENIUS jus habuit gratuito utendi mutuo per annum integrum. Ergo injuste agit GIBERTUS, mutuum in medio anno repetendo; ergo consequenter injuste agit, fenus exigendo a mutuatario, ut ei pecuniam usque ad anni finem relinquat.

CASUS XII.

DE MUTUO 2°.

ZEBINA, famula, quærit a Confessario utrum possit lucrum legale percipere ex modica pecunia quam multo labore acquisivit, et pro tempore infirmitatis aut senectutis aliquatenus adaugere cuperet. Negat Confessarius ipsam id posse, quia hoc opponitur tum legi naturali, tum doctrinæ Patrum, tum declarationi *Benedicti XIV*. Quod si S. Sedes ultimis hisce temporibus dixerit aliquando fideles, lucrum ex pecunia percipientes, *inquietandos non esse*, clausulam addidit, scilicet : *dummodo sint in bona fide*; qui autem de honestate hujus lucri interrogant, eo ipso bona fide requisita carent.

HINC :

QUÆR. 1° An ZEBINA possit accipere fenus pro mutuata pecunia, absque alio ac legis titulo?

2° Quid de rationibus a Confessario allatis?

3° An bona fides a S. Sede præscripta titulo justitiæ vel honestatis tantum requiratur, seu, an restituere teneretur ille qui contra conscientiam fenus legale perciperet?

4° Quomodo interpretanda sit clausula : DUMMODO PARATUS SIT STARE ECCLESIE DEFINITIONI?

SOLUTIO :

893. — *R. ad 1^m Quæst. Affirmative.* Patet ex responsionibus variis S. Sedis. *Vid. Comp. n. 863-874, etc.*

R. ad 2^m Quæst. Ex decisionibus ipsis Curiae romanæ patet, infirmas esse Confessarii rationes. Etenim, si valerent, praxis opposita ab Ecclesia permitti non potuisset. Licet enim S. Sedes difficultatem non certo diremerit, sequitur tamen ex positiva tolerantia, quam commendat et præscribit, esse saltem probabilem sententiam fenus ex mutuo permittentem. Atqui, si valerent rationes a Confessario allatæ, doctrina favens lucro ex pecunia mutuata percipiendo, omni prorsus probabilitate destitueretur. Doctrina enim quæ evidenter repugnat juri naturali, Juri divino et canonico, doctrinæque Patrum, non est *probabilis*, neque ab Ecclesia permitti potest. *Vid. Comp. ibid.*

894. — *R. ad 3^m Quæst.* Quoad *bonam fidem* a S. Sede requisitam, sermo est de conscientia efformata, ita ut peccatum excludat. Quare bona fides ad honestatem actionis, non vero ad ejus justitiam requiritur. Secus enim ille qui, instructus a Confessario rigidiore, putaret se male agere lucrum ex mutuo percipiendo, injustitiam committeret atque ad restitutionem teneretur, quod falsum et absurdum est. Supponantur enim duo homines, lucrum ex mutuo pecuniæ percipientes juxta taxam legis; unus putat hoc esse licitum, et alter illicitum: numquid secundus, ob malam fidem, injustitiæ reus arguendus erit, dum primus ab onere restitutionis liberabitur? Nonne sunt ambo in justitia vel injustitia pares? Numquid prior, non obstante bona fide, a restitutione potius excusari potest quam possessor bonæ fidei, quando detegit rem a se possessam non esse suam? Si in pœnitente bona fides deficiat, facile poterit Confessarius in hac bona fide eum constituere, allata scilicet S. Sedis decisione. *V. Comp. n. 869.*

895. — *R. ad 4^m Quæst.* Sufficit ad hanc clausulam seu conditionem servandam, ut pœnitens sit dispositus ad se subjiciendum Ecclesiæ decisioni, si unquam hac de re decisionem absolutam latura sit; sed necessarium non est ut pœnitentes de hoc interrogentur. Hæc enim dispositio a bono catholico semper præsumenda est. *Bouvier. — Vid. Comp. n. 874.*

CASUS XIII.

DE MUTUO 3^o.*An quis injustus sit benefaciendo?*

MENANDER centum milibus fr. prædium POLYDORO vendit. Hic, quamvis pecuniam in promptu habeat, mavult pecuniam hanc ut sibi creditam retinere, promittens se quinque pro centum quotannis soluturum. Re mutuo consensu composita, POLYDORUS tam opportune pecuniam in commercium posuit, ut 15 pro 100 perciperet.

Anxietate tamen postea correptus MENANDER circa validitatem hujus contractus, pergit ad interrogandum SEVERINUM Theologum, cui rem totam pandit. Tunc SEVERINUS: « Hoc tibi minime licitum est, inquit,

In aperta versaris injustitia. Non potes enim fructum percipere ex re non tua, seu, ex re cujus proprietatem non habes. Adde quod pecunia sterilis est ex natura sua, siquidem ipso usu consumitur, dum impenditur. Præterea, cum omne periculum mutuatæ pecuniæ in damnum mutuatarii vergat, æquum sane est ut omne emolumentum ex ea ipsi obveniat. Igitur vel pecuniam tuam gratuito mutuatario relinquant, vel eam ab ipso repetas: non datur medium. » Quapropter MENANDER reclamatur predii venditi solutionem. Evenit autem ut, ne justitiam lædat erga POLYDORUM, ab eo occasionem lucrandi quindecim pro centum subtrahat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An MENANDER in contractu injustus fuerit?*

2^o *Quid ad rationes SEVERINI Theologi?*

3^o *An MENANDER juste potuisset plus accipere, v. g. tertiam vel dimidiam partem Incri?*

SOLUTIO :

896. — *R. ad 1^m Quæst.* Minime gentium; sed ad pacem est hortandus. Etenim, ex decisionibus Curiae romanæ, inquietandi non sunt illi qui fenus moderatum juxta taxam legalem, ratione pecuniæ mutuo traditæ, percipiunt. Atqui MENANDER legalis taxæ limites minime prætergreditur; et insuper, nedum mutuatarium usura oppressiva premat, ipsi medium suppeditat quo ille lucrum ingens ex commercio percipiat. Ergo... Numquid enim injustus evadet MENANDER erga POLYDORUM, ipsi commodum notabile tribuendo? Numquid et *injuriam faciet, benefaciendo?*

897. — *R. ad 2^m Quæst.* Rationes SEVERINI sunt sane severiores, ut satis liquet ex responso ad 1^m Quæst. Stantibus enim temporum nostrorum circumstantiis, atque sanctione legis civilis prædictum lucrum permittentis necnon responsis jam laudatis S. Sedis, ex quibus constat inquietandos non esse fideles qui juxta taxam legis lucrum ex mutuo pecuniæ percipiunt, doctrina SEVERINI *practice* jam defendi non potest, licet olim fuerit doctrina Theologorum communis. Sed attendamus propius ad singulas SEVERINI difficultates :

Objicit 1^o SEVERINUS: MENANDER ex re non sua fructum percipit, siquidem dominium pecuniæ suæ in POLYDORUM transtulit.

R. Nego assertum: MENANDER minime transtulit dominium pecuniæ, quia in mutuo pecuniæ non attenditur ad species monetæ, sed ad valorem; servat autem valoris dominium. Insuper, etiamsi dominium transferret, bene posset ex contractu emolumentum percipere, ex eo quod medium alteri præstaret, quo magnum lucrum obtineret.

898. — *Objicit* 2^o: Pecunia est *sterilis* ex natura sua; ergo fructum producere minime potest; ergo nec mutuans lucrum ex mutuo percipere valet.

R. Distinguo: est *sterilis per se solam, concedo;* conjuncta cum *industria, nego.* Sic ager tuus sterilis erit, nisi operam ad eum excolendum adhibeas. Sed, si ego pecunia mea auxilium præstem alteri ad lucrum faciendum, utrique prodesse poterit. Cerne POLYDORUM qui 15 pro

centum lucratur cum pecunia MENANDRI : numquid eum industria sola, absque pecunia, tantum perciperet commodum?

Objicit 3° : Periculum pecuniæ vergit in solum damnum mutuatarii; ergo ipse solus ex ea emolumentum percipere debet. Ergo mutuans nullum lucrum accipere potest.

R. Nego conseq. Potest enim mutuatarius subire periculum et nihilominus lucrum obtinere, licet partem lucri hujus mutuanti eroget. Disce iterum exemplum in casu positum. Si adeo læderetur æqualitas, quare ipsi mercatores semper pecuniam mutuo requirerent? Quod si non semper res votis succedat, hoc velut *per accidens* habendum est, vel casui fortuito, aut imperitiæ mutuatarii tribuendum.

899. — *R. ad 3^m Quæ.* Negat sententia communis. Ratio est, quia MENANDER ex mutuo pecuniæ majus lucrum percipere nequit, quam id quod lege præscribitur. Insuper, aiunt, violaretur æqualitas, cum mutuans lucrum certum obtineat, dum mutuatarius omnia pericula subit, saltem *ordinarie loquendo*. Si igitur MENANDER dimidiam partem lucri obtinere velit, ineat societatis contractum cum POLYDORO, et pericula cum eo subeat. Affirmant tamen nonnulli in casu in quo revera POLYDORUS lucrum valde notabile esset percepturus, juxta dicenda infra, n. 905 et 906.

CASUS XIV.

RATIO AB USURA EXCUSANS 1°.

1° LUCILLUS magnam frumenti copiam emerat, ut, opportuna occasione illud vendendo, magnum lucrum inde perciperet. Interea BIBIANUS ab ipso 50 nummos sibi mutuo tradendos postulat. « Non habeo amplius nisi 50, adhuc ad emendum frumentum destinatos, ait Lucillus : si vis, eos tibi dabo, ea lege ut postea mihi solvas auctarium supra taxam legalem, pro rata lucri cum empto frumento a me faciendi. » Annuit BIBIANUS et postea 7 vel 8 pro centum solvere adigitur, ratione lucri pro LUCILLO cessantis.

2° SIMONELLUS, lucri cupidus, plerumque ex mutuata pecunia aliquid præter legis taxam a mutuatario requirit, ratione lucri cessantis, aut probabiliter cessaturi, aut saltem imminuendi. Imo aliquando 10 pro centum postulat, nempe 5 ex legis titulo, et 5 ob lucrum cessans. Nec raro evenit, ut 6 vel 7 pro centum accipiat, absque lucro cessante, quia, ait, mutuatarii sunt contenti, et auctarium illud ultro concedunt, imo quandoque et ipsi offerunt.

HINC :

QUÆR. 1° *Quinam sint tituli alii ab usura excusantes, præter legis titulum?*

2° *An tibi liceat fenus accipere, tum ex titulo legis, tum ex periculo sortis, vel pænæ conventionalis, ita ut tantum ex istis accipias, quantum, secluso legis titulo, accipere posses?*

3° *Quid ad varios casus?*

SOLUTIO :

900. — *R. ad 1^m Quæ.* Tituli ab usura, præter legis titulum, eximenes, sunt : damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, et pœna conventionalis. V. *Comp. n.* 856.

R. ad 2^m Quæ. *Nego prorsus.* Hinc, si damnum emergens sit pro quinque, non tibi licet accipere decem, scilicet, 5 pro illius damni compensatione, et 5 ex lege. Lex enim locum alterius tituli tenet, si occurrat. Hoc est certum, quando damnum emergens vel lucrum cessans taxam legis non excedit, vel non superat notabiliter; quia lex, permittendo quinque pro centum, vel sex ratione commercii, intendit comprehendere et compensare illa pericula ordinaria quæ in mutuo inesse possent. Nam pecunia, alio modo impensa, seu ad prædia emenda et excolenda, tantum lucrum non producit, siquidem terra ut plurimum duo cum dimidio, tria vel paulo amplius pro centum, agricolis exhibet.

Quid vero, si damnum emergens notabiliter taxam legalem superaret? An liceret tunc integram compensationem a mutuatario requirere?

R. Affirmandum videtur de jure naturali, saltem ante judicis sententiam, quia mutuans, in hoc casu, nullum commodum ex mutuo reportaret; tantum enim ex damno emergente amitteret, quantum ex mutuo reciperet.

901. — *R. ad 3^m Quæ.* 1° LUCILLUS non est inquietandus, si revera eam damni quantitatem ex mutuo patiat; sed a periculo hallucinationis ipsi quam maxime cavendum est.

2° SIMONELLUS omnino de usura illicita et injusta est damnandus, ex eo quod variis titulis simul fenus percipiat, et taxam legalem excedat. Nec excusandus est ex prætextu, quod mutuatarii sint contenti; etenim majus tributum aliqua necessitate compulsi tantum solvunt, nec gratuitam donationem excessus debiti facere intendunt.

CASUS XV.

RATIO AB USURA EXCUSANS 2°.

1° AGRITIUS, dives, agrorum cultor in Gallia, ex mutuo pecuniæ 6 pro centum percipit, quia se aliquatenus mercatorem reputat, cum magnam quotannis frumenti copiam ex propriis agris collectam vendat.

2° REMIGIUS, legali fenore contentus quidem, apponit tamen in mutuo legem hanc, scilicet, ut mutuatarius quædam victualia, quibus indiget, in sua propria officina emat, vel alia præstet officia,

3° CÆSAR nihil quidem aliud, præter licitum ex lege, requirit; sed, nisi mutuatarius statuto tempore auctarium statim solvat, ex illo ipso fenore fenus erit percepturus, ex eo quod, ait, crescente summa sortis, etiam lucrum pro rata crescere debeat.

HINC :

QUÆR. 1° *An AGRITIUS sex pro centum ex mutuo pecuniæ suæ percipere possit?*

QUÆR. 2° An REMIGIUS, præter fenus juxta taxam legalem, juste a mutuatario exigere possit, ut quædam victualia in sua officina emat, vel aliud officium sibi prætest?

3° An CÆSAR fenus ex ipso fenore a mutuatario requirere valeat?

SOLUTIO :

902. — R. ad 1^m Quærs. AGRITIUS percipere nequit sex pro singulis centenis ex mutuo pecuniæ suæ, titulo mercaturæ, seu juxta legem civilem gallicam, quæ sex in materia commercii permittit (1). Ratio est, quia veram negotiationem non agit. Mercator enim dicitur ille qui ex officio suo emit ad revendendum. AGRITIUS autem vendit tantum frumentum quod ex propriis agris colligit; ergo mercator nullatenus dici potest. Ergo, etc.

903. — R. ad 2^m Quærs. REMIGIUS de injustitia omnino damnandus est. Ratio patet. Etenim evidenter excedit taxam legalem exigendo ex contractu, præter fenus lege permissum, alia onera pretio æstimabilia. Hoc autem injustum est. Idem dicendum de mutuantibus qui sæpius exigunt ut in convivio et epulis recipiantur.

904. — R. ad 3^m Quærs. CÆSAR juste potuit fenus ex fenore percipere positis conditionibus debitæ, scilicet, ut terminus contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit, et conventio specialis de hoc præcesserit, vel damnum ex dilatione solutionis evenerit. Vid. Comp. n. 871. — Gousset, Code civil commenté, art. 1154.

CASUS XVI.

LUCRUM TAXAM LEGIS EXCEDENS.

1° LIBANIUS, mercator, inveniens egregiam occasionem magnum percipiendi lucrum, si quasdam merces opportune emat et vendat, sed carens necessaria pecunia, sponte offert PATERNO 8 pro 100, si mille aureos sibi mutuo dare velit. Accepta vero hac pecunia, LIBANIUS 20 pro 100 lucratur.

2° DERFUTUS, mercator animalium, experientia novit se magnum obtinere lucrum ex emptione et venditione ovium. Cum autem difficile inveniatur pecuniam, censum ordinarium solvendo, offert mutuantibus, se 20 asses ipsis erogaturum pro singulis ovibus emptis. Sed sortem post tres vel quatuor menses, seu postquam oves in certis nundinis vendiderit, restituere debet.

HINC :

QUÆR. 1° An liceat auctarium majus accipere ex mutuo pecuniæ, quando mutuatarius lucrum notabile est certo percepturus?

2° Quid ad utrumque casum?

(1) L'intérêt conventionnel ne pourra excéder en matière civile cinq pour cent, ni en matière de commerce six pour cent. Loi du 3 septembre 1807, article 7.

SOLUTIO :

905. — R. ad 1^m Quærs. Negat sententia communis. Ratio est, quia nullus titulus huic auctario favet; siquidem superat taxam legis, nec ei suffragatur aliis titulus damni emergentis, aut lucri cessantis, vel periculi sortis: ergo nulla datur ratio auctarium illud percipiendi. Hoc insuper esset hallucinationi obnoxium, cum facile possit esse error circa lucrum speratum, ut sæpe probat eventus. Mutuator et mutuatarius inire possunt contractum societatis, vi cujus ambo habeant spem certi lucri, vel damnum subeant, si quod eveniat; et tunc nulla superest difficultas.

Non desunt tamen Theologi, qui auctarium illud non damnant in casu particulari, ubi de emolumento certo et notabili constat; quia, aiunt, de jure naturali, ille qui tibi offert medium notabile lucrum percipiendi, illud tecum dividere potest. Deficiente enim alio titulo, adest saltem libera et plena mutuatarii condonatio. Sic Kenrick, t. 1, tr. 11, c. 6, n. 96 (1):

« Ad eos quod attinet, qui excedunt lucrum a lege definitum, haud facile iis credendum, rationes, quibus vindicetur, allegantibus. Jus auctarium majus recipiendi repeli posse existimamus ex libero contrahentium consensu. Patet consensum illum liberum non esse, quoties oritur ex angusta re et magni damni periculo: quamvis enim quis cum magna animi voluptate mutuum acceptet, quo eripiat, illud facit, necessitate qua laborat adactus; aliud videri posset, quando, lucris majoris intuitu, læto animo accipit mutuum, nulla rei familiaris angustia cogente. Quod si de plena voluntate contrahentium constet, præsertim post transacta, qui usuram accipit vix est ad restitutionem cogendus; consensus enim vitium tituli sanat. Non semel contigit accepisse a mercatore, cui mutuum dedit pecuniam, sortem cum decem pro centum, post annum; deinceps, Confessario suadente, eum adisse, et excessum auctarii obtulisse, quem alter noluit accipere, se libere dedisse affirmans, et fidem fallere probro ducens. »

906. — R. ad 2^m Quærs. Generatim ante factum, hujusmodi conventiones probandæ non sunt, tum quia legi adversantur, tum quia plerumque spontaneitate carent ex parte mutuatarii, qui auctarium nimium solvit aliqua rerum angustia pressus. Usuram majorem redolet casus secundus DERFUTI, quia videtur ille mercator auctarium admodum exaggeratum solvere, ut pecuniam habeat, unde oves emere queat, et suum commercium possit sustinere. Attamen post factum, si constat tum de lucro notabili a mercatore percepto, tum de illius libera ac spontanea voluntate quoad auctarium ab ipso solutum, mutuator non erit ad restitutionem cogendus, quia, etiamsi egerit contra legis prohibitionem, non fecit injuriam alteri, excessum auctarii vere et sincere remittenti.

(1) Kenrick, Achiep. Baltimorensis: Theologia moralis; Mechliniæ, 1860.